VITA SVPPLICIVM: SIVE, DE MISERA HOMINIS CONditione querela.

Heu vitæ legem, cui annexum est angi & dolere in omni ſorte.



LONDINI,
Impenſis *Thomæ Man.*
1590.



ERrat in terris homo:
sperat, optat,
Voluit, explorat, stupet,
ardet, alget:
Nil videt rectum: queritur, Malorum
Omnia plena.

Academi-
cus Aulico.

Nascimur flentes vitio: dolentes
Viuimus pœnis, morimur gementes,
Cui Deo, vel quo, *latet. Ante portum
Nemo quiescit.

*Abdita
naturæ pa-
tent fidei.

Spiritus carnem cruciat, resurgens
Spiritum turbat caro: mox vtrumq;
Hostis occidit. Temere feruntur
Omnia lite.
Terra fert durum soboli flagellum,
Improbam prolem: Pelagus periclis
Horret, infandum: dominatur orbi
Turbidus aër.
Rura sordescunt inimica fama:
Aula famosa est, sed acerba paci:
Ciuis exclamat facinus, laborant
Fraudibus vrbes.

Clamor in roſtris, ſcelus in theatris,
In domo lites, in agris latrones,
Fucus in templis: Dolor, aut dolendus
Error vbique eſt.

Nec thronus iuſto, nec opus valenti,
Nec fides vati, nec amor fideli,
Nec quies laſſo, nec opes benigno,
Nec ſatis vlli.

Garrulus rhetor, ſimulans amicus,
Inſolens fortis, petulans facetus,
Callidus prudens, ſatis eruditus
Diues habetur.

Fas vbi merces, vbi lingua faſtus:
Omnis ars longa eſt, breue tempus aui:
Iura calcantur, Medicina ſordet,
Sacra pudori.

Copias iræ, miſeros querelæ,
Dedecus ſanctos, odium peritos,
Pœna priuatos, agitat potentum
Liuor honores.

Si bonus, non eſt melius paratum:
Si malus, non eſt grauius ferendum.
Vna ſors cunctis, aliquando blanda,
Lubrica ſemper.

Qui fuit ſeruus modò, nunc gubernat,
Qui fuit princeps modò, nunc miniſtrat,
Qui fuit fortis modò, nunc putreſcit
Puluis & horror.

Sic ſilent obſcura, minantur alta,
Finge fortunam penes eligentem:
Optet, excelſus, vel egenus eſſe
Sobrius hæret.
Senſus explorat, ratio capeſſit,
Pugnat affectus: video quod opto,
Et premor ſenſu: cupio, probóq;
Et fugit vltra.
Quò mihi ſenſus? Dolor eſt videre
Quod fugit. Quò mens? Melius latere
Quod nocet. Viuo miſerandus, ipſo
Pauper in ære.
Cum venit fortuna, malum minatur,
Cum volat, perdit: veniens, recedens
Donat, & tollit, vaga, cæca, nulli
Semper amica.
Sæpe quæſiui, grauior ruenti
Pœna, vel ſemper miſero? Ruenti
Arguit lapſus: grauior iacenti
Indigus vrget.
Pœnitet lapſum viguiſſe: vellet
Indigus labi potuiſſe. Lætis
Si dolor creſcit, niſi lætus eſſem,
Quàm dolor eſſem?
Cura quam cerno, nocet ante tempus:
Cura quam ſperno, premit imparatum.
Prauus an ſanctus magis implicetur
Anxia lis eſt.

Imbrobus leges patitur, veretur
Innocens casum: cupiens vterq;
Viuere, heu mortem timet, & gehennam
Morte solutus.
Hinc labor lenta macerat diei.
Hinc pauor noctis sequitur: quiescit,
Surgit: ærumna vigilem, quietum
Somnia turbant.
Bruma frigescit nimis, ardet æstas:
Squalet autumnus pluuia, serenat
Ver, sed ingratum glacie, sereni
Nulla voluptas.
Obruit valles mare, pulsat aquas
Ætheri rupes aquilo: stupescit
Fastus, expectans, vbi non mouendas
Erigat arces.
Pax nimis languet Venere & sopore,
Mars nimis sæuit gemitu & cruore.
Tam leues mentis sumus, impotentes
Omnia vexant.
Aut caput semper dolet, aut palatum
Torpet, aut venter strepit, aut abundat
Bilis, aut phlegma, aut. Aliquid molestũ
In cute semper. (est
Quod timor mortis, quod edax libido,
Quod lues, & quod situs, & quod ira,
Et gula obsorbet; medicina longa est,
Et breuis ætas.

Dic

Dic vbi Æneas, vbi bellicosus
Hercules? Eheu periere: & ipsi, &
Ipse cras, vel cras, sequar hospitalis
Stamina fusi.

Surge qui magnus populo videris;
Fallitur prudens, temeratur æquus,
Claudicat fortis: sine labe nullus
Numine dempto.

Sordidè aut pranè, stupidè aut proternè,
Prodigè aut parcè, timidè aut superbè,
Æmulè aut blandè, properè aut remissè
Omnia perdunt.

Ambit vt regnet, nocet vt triumphet,
Fallit vt crescat. Sine Marte nemo
Victor euadit, sine lite nemo
Pace potitur.

Cogitat, nunquam vacat inchoare:
Inchoat, nunquam bène cœpta complet:
Complet, & nunquam bene facta merces
Digna rependit.

Hospes innata est animo, voluntas
Peior: ad linguam properat: cupido
Ingruit facti: sequitur flagellum:
Sic luit error.

Saluus vt rupit, fouet intus anguem:
Audet, & pendet: leuior libido
Altius surgit, grauius flagellum
Sub pede sidit.

Heus caro, rursum spatiemur : olim
Nox erit : donec licet imperemus,
Fortè tabesces, citò conualesces :
Io triumphe.
Quod fugit quærit, quod adest relinquit,
Quod iuuat spernit, quod obest moratur,
Quod deest optat, quod habet profundit,
Quod pudet ornat.
Concipit risus, parit in cachinno,
Pergit ad pœnas : monet & monetur.
En malum ! Nunquam satis est beatus,
Dum miser extet.
Regnat & seruit, caret & redundat,
Gaudet & mœret, vouet & retractat,
Condit & spargit, fugit & retentat,
Floret & aret.
Conspicit cœlos, meruit profundum :
Spes metus versant : voluit placere,
Nititur serò, potuit placere,
Noluit actus.
Sistit & plorat : nec amor, nec astus,
Nec labor prodest : mala temperantem,
Et malum tentant : inimica solùm
Parca focillas.
Desinam rectè facere, & scelestus
Esse desistam : bene parta lento
Ambitu crescunt, malè parta pleno
Fonte recurrunt.

Quod

Quod malum secter? Patior nocentem,
Læsit impunè, pudet, & tremisco:
Nitor vlcisci, satis est furori,
Dic vbi virtus?

Si fero, vellem monuisse, rursum
Si loquor, mallem tacuisse. Præsta
Vt loqui possim, simul, & tacere,
Vino quietus.

Quid meum pectus facis? ægra, cassa
Te caro appellat: Potes ô mederi
Seruulo? Dignare mihi salutem
Pectus, amabo.

Fidus & constans animus medetur
Corpori ægroto, releuando corpus
Colligit vires: releuando corpus
Mens oneratur.

Prôh (scelus) *quid vis? vacuum manere*
Non sinis, nec fers saturum valere:
Salua res quondam, modò salua, si tu
CVLPA deesses.

Nunc (viri) quicquid miserũ, paratũ est
In necem nostram: metus & cupido
Inuicem rodunt: metus est tyrannus,
Rixa cupido.

Quis pauet? quis flet? quis eget? quis errat
Solus (heu sortes) Homo. *Luctus, error,*
Cura, paupertas, nisi VIR fuisset,
Nulla fuissent.

Hunc

Hunc fames, illum labor, illum Erynnis,
Alterum tabes, alium securis
Corripit: si quis meliora, fessum
Deuorat ætas.
Hac miser voluens tenero stuporem
Pectori, ô fausti, placidi, quieti,
Vos (ait) pisces, pecudes, volucres
Viuite læti.
Ipse non nasci melius putaui,
Aut mori natum Ioue præparato,
Quàm mori semper, patiendo tristis
Murmura vitæ.
Dum fames ventrem stimulo lacessit,
Dum sitis clamat liquidum, dolendo
Funus expecto: satis est beatus
Qui breuè luget.
Fortis, ignauus, patiens sub vno
Militant Casu, querulis ferendo.
Fortis insurgit, patiens precatur,
Aufugit excors.
Hîc parùm ringit, nimis hîc titillat:
Inter hæc vnum MEDIVM labascẽs
Vix caput tollit. Modus est, sed error
Ludit vtrinque.
Liberis coniux onerat maritum,
Cœlibem stringit grauior libido:
Stat senex curuus, iuuenis proteruus,
Debilis infans.

Rector

Rector incusat famulos superbos,
Seruus accusat dominum tenacem:
Gnata peruersa genitrice, mater
Prole laborat.
Inuidet princeps populo quietem,
Inuidet regi populus salutem:
Inuident omnes studijs honorem,
Triste, nefandum.
Miles affectat requiem coloni,
Rusticus gaudet pugilis corona:
Nostra marcescunt, aliena semper
Pascua vernant.
Languet indulgens oculis amator,
Pellit iratus furias, fouétque
Nil opus flagro: sua cuique culpa
Pœna cuique est.
Terror ignauos, acies ferocem
Quærit: vrgentem facinus ruinam
Semper offendit. Patiuntur æquos
Singula manes.
Pœnitet facti, metus est futuri,
Cura præsentis: breuior voluptas
Quàm dolor: multis grauior dolore est
Falsa voluptas.
Lætor, & damnant hilarem seueri:
Tristor, & rident hilares seuerum.
Vix Deo quisquam, & populo placere,
Et sibi possit.

Magna

Magna qui fidens cupit, improbatur:
Magna qui fœlix parit, inuidetur:
Magna qui sperans cadit, eleuatur
Fabula vulgi.
Frangitur virtus odijs, triumphus
Exit in frontem, pudor in pudore est.
Quod tibi fatum loquar ô pudenda
Vita pudenda?
Hoc tibì fatum loquor, vt laboras,
Sic metes: & quod mala promerentur,
Hoc erit merces malè perpetranti,
Iudice Mino.
Perge baccari, spolia & reconde,
Cuncta dimittes: perime & triumpha,
Decides rursum, bibe, lude, macta,
Stamina currunt.
Luget errores hominum disertus:
Prouidus tentat vitio mederi:
Stultus ægrotat, nec iners dolendo
Vulnera sentit.
Multa qui callet, mala multa condit:
Pauca qui curat, bona multa perdit.
Scire quid tantùm est, nisi grandis ignis
Et leuis aura?
Dum Plato in sordes Cynici iocatur,
Sordibus calcat phaleras Platonis:
Ambo delirant, vel vterq; sanus:
Scire laboro.

Ridet hic Democritus, vt palumbes
Plangit Heraclitus : opem requirunt
Tristis & latus : lachrymas nec artem
Fata morantur.

Ocio semper comes est egestas,
Angor & sudor macerant agentem,
Sanitas nunquam vitio, nec ager
Absque labore.

Seruitus frænum est animi ferocis,
Calcar abiecti : modulantur omnes,
Grata libertas, sed amica cauto,
Noxia prauo.

Tristis est solus socio relictus,
Tristior qui cum socio proteruo est.
Dixit expertus : Nihil est ab omni
Parte beatum.

Qui sibi nunquam placet, huic placere
Quid potest? Quorsum bona? viuo inanis
Mors mihi non est graue, sed perire,
Et superesse.

Vertor ad cœlum, Moderator alto
Ponderat lapsus : Meditabar Orcum,
Æstuo flammis : repeto cauernas,
Æstuo curis.

Sic ago, sic iure fero : colenda
Disce mortalis citò. Multa secum
Vita fert incommoda, sed rebellis
Plura meretur.

Qualis

Qualis est anni facies peracti,
Talis, aut peior color est futuri.
Sydus & dæmon, Deus, & voluntas
In vice versant.
Nil datur gratis; magis hic laborat,
Hic minùs: nemo sine vi, vel arte
Proficit: rarus modò vi vel arte
Proficit hilum.
Quid petam diuos miser, vt quiescam?
Sæpe das fortuna *nimis, nocésque:*
Da semel nobis animum, & placebis
Omnibus vnà.
Quisq; confidit nimis in secundis:
Quisq; desperat nimis in sinistris.
Sic nimis pleni, nimis indigentes
Vrimur omnes.
Puluis expectat sobolem: Venite
Filij terræ. Tremo, si voluptas,
Tam citò ire, heu quàm cito? si labores
Et dolor, opto.
Quis mihi tantas lachrymas, precésque
Donat & spernit? Deus est verendus
Qui malum plectit: Deus est benignus
Qui mala curat.
Ecce qui seruo genitum dedisti:
Parce qui pro me tenebras tulisti:
Siste qui vati toties fuisti
Pectoris hospes.

Respice ingratum genus, hic trophaea
Quaere: festinant mala, nos perimus,
Si feras hostes superare inultos
Te duce Christe.
Hic ego in signum iaceo, repentè
Tangis, & migro: cupio valere,
Vt tibi viuam: cupio migrare,
Ut mihi prosim.
Dic mihi terras oleo fluentes,
Dic nouam vitae melioris artem:
Deseram Musas, & vbique tecum
Aulice viuam.

AVTHOR MVSAE VALE-DICIT.

Non possum cantare tibi, cœlóque studere,
Et patriae seruire: Faue mihi Musa, valéq;.

H. S.